

* * *

nominantes singuli eam aliter atque aliter (b). Hippocrates olim alicubi quidem motus principium illam appellavit, alibi vero humorum temperiem, et qualitatem: quocum et Galenus consentire videtur, qui et facultatem gubernantem, et corpus conservantem omneque datum depellentem eam vocavit. Quidam vero postea Archaeum (c); et alias animam tabernaculum suum ratione gubernantem (d); alii vero calidum corde innatum. Alius iterum complexum causarum naturalium (e); quidam principium sensitivum. Alius aetherem, alii denique varie et diversimode, uti unicuique visum est, atque placuit (f).

§. 3. Verum opinio prior Hippocratica magis probabilis esse videtur, ut magis congruens, quatenus scilicet naturam motum esse demonstrat: per illum enim totum corpus conservatur (§. 2.), quo deficiente, statim pernicies ejus cum putredine et corruptione adest; experientia haec indicante.

Ilo

((b) Gerard. van Swieten in commentar. in Boerhav. aphoris. Tomo I. pag. 3. (c) idem ibidem T. II. p. 26. (d) Georg. Ernest. Stalius in praefat. in Junckeri conspect. medic. theoreticopRACT. p. 7. 8. sequ. (e) Thom. Sydenham. Febr. pestil. p. 142. (f) de his optime et compendiose D. Jo. Pet. Eberhard. praeceptor olim meus gratiosissimus in conspect. medic. theoretic. p. 43. 48. sequ. in prolegom.